



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

20. An superiores regulares possint erigere Monasteria, seu conventus absque Epsicopi Diöcesam lilce[n]tia? Et quid de mutatione conventus de loco inco[m]modo ad alium co[m]modum locum ex privilegiis? ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

§. Notandum est tamen hic obiter ignorantiam etiam vincibilem siue facti, siue iuris imponentis censuras, & alias pœnas spirituales, siue factum illud fuerit peccatum mortale, si tamen non fuerit ignorantia crassa, & supina, excusare ab omnibus illis pœnis. Ita ego \* alibi cum Sanchez & Portel, qui iterum hanc sententiam nouissimè docet in loco supra citato, n. 4. quod perpetuò tene mœnti.

\* Alibi in  
Res. quæ huc  
est in tom. 5.  
tr. 1. Res. 33.  
& in aliis  
designatis in  
annot. posita  
ad sim. tex-  
tus data.  
Res. & vide  
etiam eius §.  
penult. &c.

## RESOL. XX.

An Superiores Regulares possint erigere Monasteria seu conuentus absque Episcopi Diocesani licentia? Et quid de mutatione conuentus de loco incommo- dum ad alium commodum locum ex privilegio? Ex p. 111. tr. 2. & Misc. 2. Res. 25.

Sup. hoc in  
fr. in Res.  
44. cursim in  
§. Decimus  
quintus. Sed  
lege eius  
doctrinam à  
§. Hoc sup-  
posito, &  
eius annot.

§. 1. Quando de nouo Ecclesiæ, seu loca sunt ædificanda à Regularibus in aliqua Ciuitate, vel loco, aduertere debent, quod tres ordinationes de hac materia fuerunt huc vlque emanatæ à Summis Pontificibus.

1. Prima fuit emanata à Clemente VIII. die 23. Iulij 1603. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Quoniam ad institutum, &c.* in qua statuit Ordinarios locorum non posse licentiam ad nouos Conuentus cuiuscumque præsertim Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum Ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendi impartiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interess. habentibus, & causâ seruatis seruandis cognita, consiterit, in eisdem Ciuitatibus, & locis nolos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandè erectionem citatorum Conuentuum suspendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea Causâ pronuntiatum extiterit.

2. Secunda fuit emanata à Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium super negotiis Regularium die 17. Augusti 1621. per vitæ vocis oraculum habitum à Papa Gregorio XV. in qua quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit dictam ordinationem Clementis VIII. non obstantibus concessionibus factis à Paulo V. suo prædecessore diuersis Religiosis. Volens de cætero obseruari, & insuper statuit, vt dicta noua loca non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Religiosi inhabitare, & ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant. Ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, seu domorum aliarum Religionum per quatuor millia passuum circumvicinis locis vocentur, & audiantur, ac tali erectioni consenserint, vel aliis Ordinariis locorum consiterit, Religiosos Monasterij sic erigendi, absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè manuteneri, & alij posse.

3. Si verò vbi noui Conuentus instituendi erunt, nulli alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum incolæ, & habitatores quorum & consensum requirant, & adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in conuentibus commodè alere, & manuteneri valeant.

4. Tertia fuit emanata à Papa Urbano VIII. die 28. Augusti anno 1624. per suam Constitutionem, quæ incipit, *Romanus Pontifex, &c.* in qua reuocat omnes licentias, & facultates concessas à prædecessoribus suis diuersis Ordinibus ædificandi Ecclesias, seu loca Regularium, contra formam datam à Clemente VIII. in sua Constitutione, & Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium supradictum, ac contravenientes etiam communicat ipso facto, & priuat voce actua, & passua, & Officij, &c.

5. His constitutionibus tamen non obstantibus, putat nouissimè Bruno de Privileg. Regular. parte prima, tractatu quarto, capite sexto, propos. 12. quod Regulares Prælati possint erigere Monasteria, seu Conuentus absque Episcopi Diocesani licentia, & de illius consensu idem possint, nullius alterius, siue Regularis, siue secularis consensu requisito. Probat suam sententiam, quia idemmet Urbanus VIII. Idibus Maij 1623. priuilegia Dominicanorum restituit, ac ex consequenti possint Regulares circa ædificationem Conuentuum quod ante Clement. VIII. poterant.

6. Sed hoc minimè admittendum esse docent communiter Doctores, & praxis omnium Episcoporum, & ipsorummet Regularium. Et quis credit Urbanum VIII. in illa confirmatione Privilegiorum Patrum Dominicanorum voluisse delimitere id quod anno 1624. tam mature statuerat? Adde, quod requiritur ex Concilio Tridentino sess. vltim. de Regularibus caput. 3. Ordinarij licentia, quando de nouo Ecclesiæ, & loca à Regularibus ædificantur.

7. Sed Pater Bruno respondet, Tridentinum non destruere Privilegia Regularium, cum careat clausula reuocatoria ipsorum. At hoc non admittunt Doctores, nec communis Praxis. Et ideo contra Brunum ne deseras videre ex Regularibus Bardonum, vbi me citato decis. 124. sic ait; Iure Privilegij Prælati Regulares etiam Mendicantium possunt irrequisito Episcopo benedicere, & imponere primum lapidem, vt Cælestinus Papa V. concessit id priuilegium Abbatibus Cælestinorum, confirmatum ab Eugenio IV. eidem Congregationi, cuius Bullam registrat Rodriquez, Bulla 18. disti. Eugenij numero 18. Tamburin. tom. 1. disput. 22. questio. fin.

8. Sed quoniam Tridentinum Sess. 25. cap. tertio, prohibuit, ne de cætero Monasteria, & loca erigantur sine licentia Episcopi, in cuius diocesi erigenda sunt iuxta ius commune, capite quidam decimo, capite qui undecimo, cap. de Monasterio decimo, questio. secundo, idcirco illud priuilegium censetur reuocatum, si quidem si non possunt amplius erigere Monasteria sine licentia Episcopi, vt etiam nouissimè mandauit Urbanus VIII. sua constitut. incipit *Romanus Pontifex*, quam cum aliis refert Tamburinus tomo tertio, disputatione quinta, questio. prima, & non inuentantur illa sine Ecclesiis, à fortiori censetur prohibita sine auctoritate Episcopi fundatio Ecclesiæ Monasterij, quia non minorem, imò maiorem habent subiectionem Ecclesiæ Episcopo, quam Monasteria, propter illam solemnem benedictionem, & impositionem primi lapidis; præterquam quod situs, super quem fundanda est Ecclesia, vt priuilegium non est exemptus, quare dictum priuilegium non videtur amplius subsistere. Ita Bardonus.

10. Item *decis. 125.* me citato subdit, quod licet iure privilegij incipientis, Injunctum nobis, Sixti V. concessi Congregationi Sancti Benedicti Portugaliz, ista mutatio fieri potest de solo consensu Capituli Generalis, sine licentia Episcopi, privilegium refert Rodriguez in suo Bullario, Bulla 21. Sixti V. Miranda tom. 1. *quæst. 33. artic. 2. conclus. 2.* & alij cum Tamburin. tom. 3. *disput. 5. quæst. 4.*

11. Dictum privilegium nostris temporibus putato non habere locum, Primò, quando de nouo fundatur Conuentus obstante Bulla Urbani VIII. Secundo præcipuè, si fundetur Ecclesia, quæ edificari non potest sine auctoritate Episcopi; vt dixi in præcedenti. Tertiò, si Ecclesia sit subiecta Episcopo, quia illam de eius manu recipere debent. In uno casu non requiruntur licentiam Episcopi, cum nimirum sit permutatio Conuentuum inter Regulares, siue eiusdem, siue diversi Ordinis, quia permutantes in nullo subfunt Episcopo. Hucusque Bordonus; quæ omnia destruit. Et licet ego olim docuerim in tali casu non requiri licentiam Episcopi, tamen non accedo contrariæ sententiæ, quam docet Bordonus *ubi supra*, & alij, nimirum in translatione requiri licentiam Episcopi ex præscripto Tridentini, & dictarum Bullarum, in quibus fit mentio de erectione nouorum Conuentuum, derogando omnibus privilegijs, quo nomine venit quæcumque erectio Conuentuum, siue fiat simpliciter, quia antea non exabat, siue aliud de nouo construat Monasterium, relicto, aut retento veteri, verè enim dicimus de nouo fundari, & erigi, cum antea non esset, sed incipiat primò esse.

12. Pergit postea Pater Bruno *propost. 13. per totam* probare, quod in construendis Conuentibus non obferuatur spatium cannarum antiquius præscriptum; obseruari tamen debet, cum Fratres Minores repugnent. Et probat hoc ex vsu qui talis est, vt distantia illius spatij 300. aut 140. cannarum in edificandis domibus Regularibus, oppositionibus in contrarium non obstantibus, nullatenus obseruetur, vt jam pridem aduertit Sorbus in *Compend. verb. Edificare*, qui notat etiam à Sede Apostolica iuxta illum vsum decium fuisse. Et hujus sententiæ est etiam Marcellinus à Sancto Benedicto eodem verbo, quorum sententiæ stare necesse est ratione vsus, licet reuera probabilius sit, imò certum, subsistere privilegium Minorum quoad spatium 300. cannarum; cum motu proprio, & ex certa scientia, post emanatum privilegium eiusdem Societatis, privilegia Minorum fuerint per Sixtum V. & Clementem VIII. confirmata: necnon etiam per Paulum V. licet non ex certa scientia, sed æquiualeter, cum clausulis reuocatorijs omnium contrarioribus, vt alibi ostendimus: ac ex consequenti subsistere hoc privilegium. Nec obstant vsus, & Sedis Apostolicæ decisiones prædictæ; nam vsus contrarius non tollit Regularium Privilegium, vt alibi diximus, nec etiam decisiones Sedis Apostolicæ in causis particularibus, cum iuxta iuris Regulas, res inter alios acta, aliis nocere non debeat. Quocirca iudicando rem ex privilegio, Regulares Societatis Iesu si post confirmationes proximè dictas, non impetrauerint dicti sui privilegij confirmationem debitam, quæ ad meam notitiam minimè peruenit, non possunt edificare suas domos, nisi cum illa distantia à Fratrum Minorum domibus. Quia antiquæ concessiones fuerunt reuocatae per contrarias concessiones: nam Pius IV. vt habetur in *privilegio Societatis Iesu*

Tom. VII.

*pag. 77. & in Compend. Privilegiorum ejusdem, verb. Edificia*, eidem Societati concessit; Vt illius Prælati possint construere ædificia intra 140. cannas à Conuentibus aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, non obstantibus eorundem privilegijs. Mandatur Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs in dignitate constitutis, vt per se, vel alium, seu alios, quoties pro parte alicujus illius Societatis fuerint requisiti, privilegij hujusmodi literas solemniter publicantes, faciant illius Societatis personas contentis in eisdem gaudere: non permitentes eos super his, aut eorum aliquem, per quorumvis Ordinum Religiosos, aut alias personas, etiam si Pontificali, seu Regali auctoritate fungantur, quouis quæsito colore, quomodolibet molestari: hæc Præfatus Pontifex. Quæ in authenticis Instrumentis, sicut & cætera ejusdem Societatis privilegia in Archiuis Domus Professæ Burdigalæ seruantur. Et licet hoc privilegium fuerit reuocatum in Causa Domus Toletanæ per Pium V. fuit tamen in eademmet causa reuadatum à Gregorio XIII. vt refertur in *Compend. proximè citato, verb. Eodem, §. primo*, Bulla, quæ incipit, *Saluatoris Domini nostri IESU CHRISTI*, cum clausula derogatoria privilegij Mendicantium per respectum ad dictam Societatem. Hucusque Bruno.

13. Sed hæc sententiæ quoad primam partem est contra praxim, & contra plures Decisiones Sacræ Rotæ Romanæ, vnde Peregrinus in *Compend. Privileg. Cleric. Regular. verb. Edificare, §. 1.* sic ait: Nulli Religiosi, vel Ecclesiasticæ personæ vtriusque sexus possunt nouas Ecclesias, & loca construere vel alias de nouo recipere, & habere iuxta loca, & Ecclesias Regularium Clericorum nostræ Congregationis infra spatium centum quadraginta cannarum per ærem mensurandarum, vbi alias commodè per terram mensurari non possunt. Et §. 2. ait: Possunt nostri nouas Ecclesias, & loca construere, & de nouo recipere & habere, & acceptas, & constructas retinere, quamvis sint vicina Monasterijs, vel Ecclesijs aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, intra spatium centum quadraginta cannarum.

14. Et aduersus Patrem Brunum sufficit hic adducere tantum Decisionem vnâ nouissimam Sacræ Rotæ in Causa Ianuensi Privilegiorum die 28. Iunii 1649. coram nunc Eminentiſſimo Domino meo Cotrado, quæ sic incipit, & ait. Commissa mihi causa appellationis interpositæ ad Sanctissimum Dominum Nostrum pro parte RR. PP. Congregationis Sancti Philippi Nerij Ciuitatis Ianuensis, à Sententiâ Rotali, qua fuit declaratum illis non licuisse, neque licere Ecclesiam, Domum, seu Conuentum edificare, vel recipere, neque habitare, aut residere in Ecclesia Sancti Panerati, vel alio loco infra spatium centum quadraginta cannarum ab Ecclesia Sancti Sirti, seu Conuentu RR. PP. Theatinorum distanti iuxta Summorum Pontificum Constitutiones. Hodie dubitavi: An illa sit confirmanda? Domini re denuò exactè discussa, responderunt affirmatiuè.

15. Quod postea probat ex multis privilegijs, & rationibus, & postea subdit. Certum est, quod obiectum ex factò tollitur quoad PP. Theatinos, nam hi quoties casus euenit, hujusmodi privilegio tam in iudicio, quàm extra vsi fuerunt, & specialiter in ipsa Ciuitate Ianuæ cum Reuerendissimis Patribus Iesuitis, vt apparet ex *decision. 676.*

B 2 num. 11.

num. 11. vers. quia tamen part. 1. & dicta decis. 87. part. 4. recent. ac iterum cum eisdem in Ciuitate Messanae anno 1642. ut patet ex litteris Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium, & cum RR. PP. Praenotifratibus hic in Vrbe. Ac demum cum Praesbyteris saecularibus Sancti Caroli Borromei in Ciuitate Neapolis, ut apparet ex decreto eiusdem Sacrae Congregationis sub die 16. Februarii 1643. Huc usque Sacra Rota. Ex quibus apparet contra Brunum; non esse verum quod hodie in constituendis Conuentibus non obseruatur spatium canarum antiquitus praescriptum, & quod peius, ait ita fuisse decisa in Sede Apostolica, quod falsum esse patet ex Decisionibus Rodriquez, & Declarationibus Sacrae Congregationis, ut visum est supra.

16. Nota hic obiter, Peregrinum *vbi supra*, in *Scholio*, docere, Privilegio Pij IV. concessio Societati die 13. Aprilis 1561. posse nos Clericos Regulares vti contra alios ordines, dicta tamen Societas Iesu, & alij Ordines vti non possunt contra nos: quia fundantur in negatione praedicti; Nobis autem qui neque ex redditibus, neque mendicando viuimus, sed ex sponte oblati, & maxime à vicinis, fit praedictum, & propterea nos non comprehendit, comprehendit tamen Mendicantes, quia possunt à longè vltra viciniam mendicare. Nec obest nobis dictio *taxatua*, tantum, quae est in hoc privilegio Gregorij XIII. quia illa non obstante, possumus gaudere eorum privilegiis, etiam cum clausula communicationis prohibita, per privilegium Gregorij XIV. Congregationis Sancti Bernardi Hispan. concessum, & nobis communicatum. Ita Peregrinus.

## RESOL. XXI.

An Regulares possint mutare conuentum de loco v. g. non sano, vel incommodo ad alium saniores, vel commodiores sine licentia Episcopi? Ex part. 3. tract. 2. Refol. 136.

Sap. hoc in Ref. praerita §. Item decis. Sed lege eam per totam.

§. 1. Quid ad istam mutationem requiratur noua licentia Episcopi, docet Emanuel Rodriq. in *quest. Regul. tom. 1. quest. 23. art. 7.* & Portel in *dubis Regul. verb. Monasterium, n. 5.*

2. Verum notandum est, quod Sixtus V. concessit Generali sancti Benedicti, quod in Capitulo Generali de consensu Capituli possit mutare Conuentus de locis incommodis ad locos commodiores, non petita licentia Episcopi, cum ceteris ibi contentis, & id ipsum concessit Sixtus IV. Minoribus. Nec privilegiis derogatur per Concilium Tridentinum, nam loquitur tantum de noua erectione, & aedificatione domorum, non autem de mutatione. Et haec omnia docent Miranda in *manual. Pralat. tom. 1. quest. 33. art. 2.* Portel *vbi supra, numer. 7.* & in *addit. eodem verb. numer. 3.* & nouissime post illos Hieronymus Rodriq. in *compen. quest. Regul. resol. 55. num. 4.*

## RESOL. XXII.

An Regulares possint exhumare cadauera, & in alio loco eiusdem Ecclesiae transferre, sine licentia Episcopi?

Et an hoc intelligatur de corporibus perpetua sepelire, re traditis, & de transiatis de vna ad aliam Ecclesiam, & secus quando sunt deposita, seu ad tempus seruata in vna, ut postea transferantur de vno loco ad alium eiusdem Ecclesiae, vel si corpus defuncti fuit Regularibus datum, ut illud ponerent ipsi, vbi cumque voluerint? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 120.

§. 1. Notandum est, quod corpora defunctorum non possunt exhumari, & transferri de loco in locum sine Episcopi licentia, ut definitur in *cap. corpora sanctorum, de consec. dist. 1. l. si necesse, l. vno humanum, Cod. de relig. & sumpt. funer. quod certè intelligitur, ut rectè obseruat Hieronymus Rodriquez in *compen. Regul. resol. 127. num. 25.* de corporibus perpetuae sepulturae traditis, & de translatis de vna ad aliam Ecclesiam, secus quando sunt deposita, seu ad tempus seruata in vna, ut postea transferantur de vno loco ad alium eiusdem Ecclesiae, & ita etiam docet Villalobos in *summa tom. 2. tract. 31. diffinit. 6. n. 4.* vbi sic ait. [Es licito trasladar los cuerpos de los finitos, que estan depositados de vna Iglesia a otra, o de vn lugar a otro, en la misma Iglesia; mas no lo es quando estan perfectamente sepultados, esto es, que no estan depositados sin licentia del Obispo.] Ita ille, vbi etiam notat *num. 5.* [que Leon X. concedio que los Prelados de la orden de los frayles menores de obediencia, pueden desenterrar de sus Iglesias y Capillas los cuerpos de los defunctos, y trasladarlos à otras sepulturas de las mismas Iglesias, con consentimiento de los que fueren interressados, gozan deste privilegio las demas ordenes, que gozan de nuestros privilegios.] Sed hoc privilegium intelligo de corporibus positis in aliqua Capella particulari, & propria saecularium, vel in alio aliquo loco electo pro corpore defuncti à consanguineis, vel amicis, secus autem si corpus defuncti fuit Regularibus datum, ut illud ponerent ipsi vbi cumque voluerint, nam in isto casu sine vlla licentia, neque Episcopi, neque consanguinei possunt exhumare, & ad alium locum eiusdem Ecclesiae transferre. Et ex his patet responso ad dubitationem positam.*

## RESOL. XXIII.

An Abbates possint consecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere lapides, Pixides, & alia vasa Ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum?

Et notatur, quod privilegio concessio Abbatibus quoad supradicta, non possunt perfrui alia Religiones privilegium etiam habentes communicationis. Ex p. 3. tr. 2. Refol. 15.

§. 1. Negatiuè respondent Suarez de *Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 30. num. 8.* Marianus Antonius Maceratenis *lib. 2. resol. 112. cas. 3.* Aloysius Riccius in *praxi, tom. 1. resol. 461. num. 2.* Piafescius in *praxi, part. 1. cap. 2. art. 4. n. 14.*

2. Sed haec opinio vera est, stando in iure communi, ut patet ex *cap. Abbates, iuncta glossa in verborum consuetudine, de privileg. in 6.* Verum ex consuetudine fundata in privilegio Innocentij VIII. contrariam sententiam docent Barboza de *potest. Episc. part. 2. allegat. 26. numer. 36.* Miranda in *man. Pralat. tom. 1. quest. 40. art. 4.* Portel in *dubis Regular. ver. Abbat. n. 3.* Rodriq. in *summa tom. 3. cap. 19. n. 2.* & nouissime Alcanius Tamburin. de *iure Abbat. to. 1. dist. 23. q. 13.* qui